

spirativa Spiritus sancti procedit a Patre, et Filio in quantum sunt unum in virtute spirativa, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate. » Sic ergo unitas principii, seu identitas sumitur ex parte proprietatis, quæ una existit in duobus suppositis, ut ibi S. Thomas docet, et hæc est spiratio activa, seu virtus spirativa, quæ includit naturam, quantum ad vim, seu virtutem quod pertinet ad actualitatem, et activitatem, et relationem quod pertinet ad modificationem, et conditionem requisitam, ut sit propria duarum Personarum, et non communis omnibus, sed oppositionem fundet, et distinctionem respectu termini procedentis per illam, quod sine relatione distinguente stare non potest. Cum ergo sit una relatio spirationis ad terminum spiratum, et una virtus quoad vim spirativam, relinquatur quod est unum principium Spiritus sancti, quia unitas principii sumitur ex unitate formæ, qua aliquid originatur, et procedit ab alio, quæ forma est proprietas, et virtus spirativa, sicut unitas naturæ divinæ, quæ est principium primum et radicale, sumitur ex unitate formæ, et sic est unus Deus.

XIX. Si autem instes: Quia etiam suppositum dicit rationem principii tamquam principium quod, sicut forma dicit rationem principii per modum principii quo: cur ergo potius dicetur unum principium ratione unitatis formæ, seu virtutis spirativæ, quæ se habet ut quo, quam plura principia ratione plurium suppositorum, quæ se habent etiam ut principia tamquam quod? Nec valet instantia de principio creationis, quod simpliciter dicitur unum, licet Personæ sint tres. Nam illud principium unum non solum est principium ut forma, et ut quo, sed est unum ut quod, et ut subsistens sub-

sistentia absoluta; et sic ex omni parte est unum in ratione principii. At vero principium spirativum, non est unum individuum subsistens, neque subsistentia absoluta, quia non importat naturam, sed relationem, neque relativa, ut infra dicimus: ergo potius dicenda sunt duo principia ratione duplicis Personæ.

Confirmatur, quia alias Pater dici posset duplex principium, quia habet duplicem virtutem principiandi, scilicet generativam, et spirativam, et duplicem relationem, scilicet paternitatis ad Filium, et spirationis ad Spiritum sanctum. Si ergo ratio unitatis, et diversitatis principii sumitur ex parte proprietatis, et formæ, si illa multiplicatur in Patre, erit duplex principium.

Confirmatur secundo, quia Spiritus sanctus non æque immediate procedit a Patre, et Filio: ergo non sub eadem ratione principii. Patet consequentia, quia si datur medium in procedendo, non ergo principium est unum. Antecedens probatur, quia communiter dicunt patres Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium, ut videri potest apud Cyrillum lib. XI in Joannem, c. I; Damascenum lib. I fidei, c. XVIII; Nyssenium oratione: Quod tres Deos dicere non oporteat, ubi dicit: « Filium sine medio esse a Patre, Spiritum sanctum vero per id quod immediate, et ex continenti est. » Ergo non immediate procedit ab utroque, sed a Patre mediante Filio.

Respondetur ad principale argumentum, quod illud videtur esse fundamentum Durandi, qui in I, dist. XXIX, q. II, tenet quod in rigore plura sunt principia Spiritus sancti propter pluralitatem Personarum, licet propter unitatem termini producti, qui est unica Persona, Spiritus sanctus et propter unitatem virtutis spirativæ, dicitur esse unum

principium; et sic patres loquuntur. Et licet Durandus fuerit ante Concilium Florentinum, ubi plenissime hic articulus tractatus, et definitus est, tamen fuit post Concilium Lugdunense, ubi jam fuerat definitum procedere Spiritum sanctum a Patre, et Filio tamquam ab unico principio, et unica spiratione. Et tamen Durandus explicavit non absolute id definisse Concilium, sed sub illa particula tamquam dum dicit tamquam ab unico principio, diminutionem quamdam sonat. Et ita alii scholastici, ut Grabriel, et Ocham, quos citat Suarez, lib. X de Trinitate, cap. VII, dicunt posse dici unum principium, et plura principia Spiritus sancti sub diversis respectibus.

Nihilominus iste modus loquendi non potest excusari a censura, et Suarez ubi supra vocat temerariam locutionem hanc. Sed certe multo graviolem censuram mereri videtur: est enim contra directam definitionem utriusque Concilii, ubi aperte definitur procedere Spiritum sanctum ex Patre, et Filio tamquam ex unico principio, et unica spiratione, et specialiter in Lugdunensi damnantur qui ausi fuerint dicere, quod procedit Spiritus sanctus ex Patre et Filio tamquam ex pluribus principiis: sed cum dicit Durandus, et alii, quod in rigore Pater et Filius sunt plura principia Spiritus sancti necessario fatetur quod in rigore procedit illis tamquam ex pluribus principiis: ergo in rigore damnatur a Concilio; et sic aperte opponitur definitioni ejus, quod est hæreticum. Nec evadit censuram faciendo vim in illa particula tamquam, quasi sit diminutiva, et non absoluta, nam ly tamquam, et ly quasi non semper significant diminutive esse aliquid, sed sunt idem ac ly sicut, ut cum Joannis I, dicitur: *Quasi unigeniti a Patre*: Act. II: *Tam-*

*quam advenientis Spiritus vehementis*: II ad Corinth. III: *Transformamur a charitate in charitatem tamquam a Domini Spiritu*. Ubi ly tamquam est idem quod ly sicut, non autem diminutive significat. In illis autem Conciliis, si ly tamquam accipiatur in sensu diminutivo, Concilium non determinasset, nec respondisset ad difficultatem Græcorum: nam ipsi insistebant nos ponere duo principia Spiritus sancti, et, Concilium docet non eam fuisse mentem Latinorum, sed solum ponere unum principium: si ergo ly tamquam sumitur diminutive, erit sensus, quod Spiritus sanctus in re procedit a duobus principiis, sed similitudinarie, et secundum quid dicuntur unum, quod est plane incidere in inconveniens quod Græci inferunt contra nos, et subdola quadam æquivocatione eos fallere, quod absit.

XX. Ad argumentum autem propositum in favorem Durandi, respondetur quod licet supposita sint principium quod, non tamen ad multiplicationem suppositorum multiplicatur ratio principii, quia est nomen substantivum, sicut ly Pater, ly generator, ly Filius: nec enim significant adjacendo: de ratione autem nominis substantivi est quod non multiplicetur ad solum multiplicationem suppositorum, nisi etiam multiplicentur formæ; forma autem constituens principium est proprietas, et virtus spirativa, quæ non multiplicatur, cum non opponantur in Patre, et Filio. Non ergo multiplicatur principium multiplicato supposito, quia etsi suppositum dicatur principium ut quod, tamen quia principium est substantivum, et de formali importat formam principiantem, non sufficit multiplicari hoc principium quod, seu suppositum, ut dicatur multiplex principium: sicut etiam subsisten-



tia est subsistentia ut quod, et tamen non multiplicatur substantia in Deo propter multiplicationem suppositorum, quia in substantivis ex parte formarum debet fieri multiplicatio. Unde non recurrimus ad exemplum illud de principio creationis, sed in quocumque principio, et in quocumque nomine substantivo tenet ista regula, quod non multiplicatur ad solam multiplicationem suppositorum, sed etiam formarum.

Ad primam confirmationem respondetur, Patrem non dici duplex principium, licet sit principium generandi, et spirandi, ut etiam negat S. Thomas in hac quæstione xxxvi, a. iv ad ii: « Quia implicaretur, inquit, pluralitas suppositorum. » Quia licet substantiva multiplicari non possint, nisi multiplicata forma, tamen etiam requiritur ad istam multiplicationem multiplicatio suppositorum, licet non sufficiat illa sola, eo quod formæ substantivæ afferunt secum sua supposita, si modo sibi proprio, et connaturali ponantur. Si autem formæ multiplicentur in eodem supposito, non multiplicatur substantivum, sicut artifex habens plures artes non dicitur plures artifices, quia deest conditio ad pluralitatem necessaria, scilicet multiplicatio suppositi. Et eadem ratione Pater non dicitur plura principia, licet habeat plures proprietates principiantes.

Ad secundam confirmationem respondetur Spiritum sanctum æque immediate procedere a Filio, et a Patre, quia procedit per eandem virtutem spirativam, quæ est voluntas fecunda, quæ tam proprie, et principaliter est in Filio, sicut in Patre, si quidem Pater communicat Filio omnia quæ in se habet, præter paternitatem. Et quia communicat voluntatem fecundam, seu spirativam, quæ ante generationem Verbi non producit, eo quod actum voluntatis

sequitur ad intellectum; ideo quando intelligitur voluntas Patris producens Spiritum sanctum præsupponitur consummata generatio Verbi, et ipsa voluntas spirans, non est in solo Patre, sed etiam in Verbo; et sic æque immediate procedit ex utroque, quia virtus qua spiratur in utroque, est quando spirat. Quod vero patres et sancti dicunt Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium, *ly* per non designat mediationem aliquam virtutis, aut distinctionem, sed quod Filius habet illam communicatam a Patre per generationem: sic enim id declaravit Concilium Florentinum in litteris unionis ibi: « Declarantes quod id quod sancti doctores, et patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet. » Ita pontifex, quare cum mens sanctorum patrum in hac parte ab ipsamet Ecclesia declarata sit, non possumus nos aliam solutionem adhibere.

XXI. Ex dictis colligi potest quid dicendum sit de hoc nomine spirator, an Pater, et Filius sint plures spiratores, an unus spirator, quia id dependet ex significatione illius nominis spirator. Si enim sit nomen adjectivum, idem erit dicere plures spiratores, ac plures spirantes; et plures spirantes communiter conceditur: si autem sit substantivum, sicut creator, generator, etc. non sunt plures spiratores, sed unus spirator; sicut et unica spiratio. Et qui-

dem Concilia Lugdunense, et Florentinum solum diffinierunt Spiritum sanctum procedere a Patre, et Filio ut ab uno principio, et unica spiratione: de nomine vero spiratoris non se intromiserunt, quia hoc dependet ex significatione grammaticali illius nominis spirator. Et ideo S. Thomas aliquando accepit illud nomen adjectivum; et sic concessit Patrem, et Filium esse duos spiratores in i, dist. xi, art. iv, et dist. xii, art. iii, aliquando vero attendens ad modum significandi, accepit illud substantive, et sic concessit esse unum spiratorem, et non plures, i p. qu. xxxvi, art. iv ad vii: « Et hoc, inquit D. Thomas, melius est quia spirator substantive accipitur, sicut creator, et generator, et similes: » et exponit Hilarium dicentem quod Spiritus sanctus est a Patre, et Filio auctoribus, quod posuit substantivum pro adjectivo.

XXII. Restat explicare pro quo supponat iste terminus spirator in divinis substantive acceptus, seu spiratio activa, an videlicet supponat immediate pro Persona Patris, et Filii indivise, seu confuse, ut loquitur D. Thomas citandus, an vero supponat pro quodam singulari individuo quod sit immediatum principium quod, et subsistens, a quo procedit Spiritus sanctus, licet non sit Persona, quia communicatur Personæ Patris, et Filii: fuerunt enim aliqui antiqui, ut Ocham, et Gabriel in i, dist. xii, qui renuerunt hoc nomen spirator esse quoddam individuum subsistens, quod esset principium Spiritus sancti, sicut philosophamur de hoc Deo, qui etiam abstractis personalibus relativis remanet individuum subsistens absolutum in natura divina, licet non persona, quia est communicabile tribus Personis. Idem dicunt de hoc spiratore, quod est individuum sub-

sistens, etiam abstractis personalibus Patris, et Filii. Quam sententiam sequitur Molina i p. qu. xxxvi, art. iv, disp. ii, et Nazareus ibi controversia ii, qui censent spiratorem esse quoddam individuum constitutum ex essentia, et relatione spirationis; et sic subsistens in natura divina: quam sententiam etiam sequitur Becanus tract. de Trinitate, c. vi.

XXIII. Nihilominus opposita sententia sumitur ex D. Thoma in hac quæstione xxxvi, art. iv, præsertim solutione ad iv et v. Ubi docet quod principium spirandi non habet determinatam suppositionem, sed confusam pro duabus Personis simul; et idem repetit solutione ad vi et vii, quod quidem non posset dici, si spirator esset individuum subsistens in ipsa natura divina præter subsistentiam Patris et Filii. Sic enim supponeret immediate pro ipso subsistente spiratore, quia supponeret pro illo subsistente, et individuo quod immediate significat, sicut hic Deus non supponit immediate pro tribus Personis, sed pro individuo ipsius deitatis ut unus est, ut cum dico Deus est æternus, est immensus, est creator, etc. ubi non supponitur immediate pro subsistente relativo, seu pro tribus Personis. Cæterum hic spirator immediate supponit pro Patre, et Filio, quia non habet determinatam suppositionem, sed confusam pro duabus Personis, ut dicit D. Thomas, ubi *ly* confusam idem est quod indivisam, id est, non secundum particulares rationes Patris et Filii, quibus opponuntur inter se, sed secundum quod sunt unum in unitate proprietatis spirativæ, ut dixerat idem D. Thomas in fine corporis articuli. Ex quo sequitur, quod ratio principii spirativi non habet vim termini collectivi, ut male putavit Suarez lib. x de Trinitate, c. vii, quia terminus collecti-



vus significat multa prout sunt unum collectione, non autem indivisibili unitate, sicut ly populus, ly civitas, ly respublica: at vero Pater, et Filius non solum collective, seu unitate collectionis sunt unum principium Spiritus sancti, sed propter unitatem proprietatis significatæ in hoc nomine principium, ut inquit D. Thomas in articulo quarto citato, in fine corporis. D. Thomam sequuntur communiter ejus discipuli super hanc quæstionem xxxvi, art. xlv, ibi, Bagnez, Zumel, Ripa, Navarrete controversia xxxi; Carmelitani tractatu de Trinitate, disp. xv, dub. iv; Suarez lib. x de Trinitate, c. iv; Vasquez disp. cxlxx, c. iv; Granados in i p. tract. x, disp. vi, et alii plures.

XXIV. Fundamentum hujus sententiæ non sumitur ex eo quod relatio spiratoris si esset subsistens per se, darentur quatuor subsistentiæ relativæ, et consequenter quatuor personalitates, quod est ponere quatuor Personas: hoc enim fundamentum inefficax est, quia dato quod illa relatio esset per se subsistens in natura divina, tamen quia est communis duabus Personis, licet sit subsistentia, non est personalitas, quia non est incommunicabilis aliis Personis, nempe Patri, et Filio, cum non sit illis opposita. De ratione autem personalitatis est, quod sit terminus incommunicabilis ulteriori termino, seu personæ; sed subsistentiæ ut sic non repugnat communicari, sicut subsistentia absoluta deitatis communicatur tribus Personis, ut supra late tractatum est. Eodem ergo modo illa subsistentia si daretur, posset quidem esse subsistentia, sed non personalitas, quia communicabilis esset.

Ratio ergo desumenda est ex ipsa intrinseca natura hujus rationis spirandi, quia neque convenit immediate ipsi naturæ, sed subsistentiis

relativis Patris, et Filii, neque ex ipsa procedit tamquam a principio quod actus spirandi, sed a Patre, et Filio prout uniuntur in illa relatione: ergo ly spirator, seu spiratio activa non constituit principium quod subsistens seorsum a subsistentia Patris, et Filii. Consequentia patet, quia subsistens constituitur ex natura, et subsistentia, si quidem subsistentia est terminus naturæ: ergo ut illa relatio spiratoris sit subsistentia, oportet quod immediate sit terminus naturæ, ut hoc modo ex natura, et ex ipsa relatione ut termino constituatur subsistens. Similiter id quod est subsistens ut quod, est operativum ut quod, quia cum natura sit principium operandi ut quo, natura terminata per subsistentiam est operativa ut quod. Si ergo relatio spirationis, neque est immediatus terminus naturæ, neque est principium quid immediatum spirandi, seu producendi Spiritum sanctum, nullo modo habet rationem subsistentiæ, neque constituit individuum subsistens seorsum a Patre, et Filio, ita quod ratione spirationis subsistens sit.

Antecedens quoad primam partem, nempe quod illa relatio spirationis non sit immediatus terminus naturæ, sicut paternitas, et filiatio probatur, quia omnis terminus immediatus naturæ in genere subsistendi, aut est quia reddit illam per se existentem, et non in alio, aut quia reddit illam incommunicabilem ulteriori termino, seu Personæ: hæc enim sunt duo munera seu officia subsistentiæ, nec potest ad aliud aliud poni in natura, nisi propter unum ex his duobus: sed illa relatio spirationis non ponitur in natura divina propter primum, nempe ut natura illa reddatur per se existens, id est, non in alio, nec per modum partis, quia hoc habet natura divina per suummet esse, quatenus

est esse a se, et actus purus, id est, a nullo alio dependens; unde nec etiam ipsæ relationes paternitatis, et filiationis hoc modo reddunt subsistentem naturam divinam, quia natura divina non per relationes habet esse independens, et perfectum, seu non existens in alio, sed per seipsam, quatenus est ipsum esse a se, et solum ponuntur illæ relationes esse subsistentiæ, quia reddunt naturam incommunicabilem ulteriori termino: ergo si illa relatio spirationis habet vim, et rationem subsistentiæ, solum erit ad modum aliarum relationum, scilicet non ut reddat esse divinum per se, et non in alio, sed ut reddat illud incommunicabile. Quod autem hoc non habeat illa relatio quod pertinet ad secundum munus subsistentiæ, manifeste patet, quia relatio spirationis est communicabilis ulteriori termino, nempe Personæ Patris, et Filii: ergo non potest reddere naturam incommunicabilem: ergo nullum munus habet subsistentiæ respectu naturæ divinæ.

XXV. Quoad secundam autem partem probatur idem antecedens nempe quod spirator, seu spiratio activa non importet principium quod immediatum operandi, seu spirandi Spiritum sanctum, ita quod si per impossibile non essent Pater, et Filius, adhuc daretur principium subsistens, et ut quod producat Spiritum sanctum, ut videtur velle Molina. Sed contrarium est certum, quia si non intelligerentur illæ duæ Personæ Patris, et Filii, sed solum illud subsistens spiratoris, non daretur principium quod spirandi amorem mutuum, et amicabilem, qui est de ratione formali Spiritus sancti; tum quia amor mutuus est inter duos: ergo ab illo spiratore non procederet talis amor: ergo immediate postulat procedere a duobus, quia supra, ut diximus, ille amor non est

mutuus ratione duplicis actus amandi, sed ratione duarum Personarum amantium: ergo remotis duabus Personis, et solum posito spiratore subsistenti, non procederet Spiritus sanctus, qui est amor mutuus; tum etiam quia illud est principium immediatum quod amandi, quod est principium quod cognoscendi, si quidem ex cognitione oritur amor, sed illud individuum spiratoris non est per se immediate intelligens, in quantum spirator, quia Pater, et Filius non intelligunt in quantum sunt spirator; neque essentialiter, quia hoc habent in quantum Deus; neque notionaliter, quia hoc habent in quantum generans, et genitum: intelligere enim notionale est generare, et intelligi notionale, est generari: spirator autem active neque generat, neque generatur: ergo spirator non est principium quod intelligendi: ergo neque amandi, quia ab eodem principio quod procedit amor a quo cognitio. Tum denique, quia si spirator esset individuum subsistens ut quod immediate opponeretur illi Spiritus sanctus ut relationi, sed etiam ut subsistenti, et producenti se tamquam principium quod: ergo non esset ratio quare opponeretur Spiritus sanctus relative paternitati, et filiationi, quia paternitas, et filiatio in vi relationis, et exercitii formaliter respiciendi solum sunt opposita inter se, non vero Spiritui sancto: et si daretur spirator subsistens ut individuum a quo procederet, neque etiam radicaliter essent oppositæ Spiritui sancto, quia in tantum sunt radicaliter oppositæ, in quantum habent esse principium quod processionis Spiritus sancti, quia sine processione radicali, vel formali non datur oppositio, et consequenter nec distinctio: sed tunc præter Patrem, et Filium daretur principium quod producendi Spiritum sanctum, nempe individuum